ORATIO FUNEBRIS
HABITA POST
EXUVIAS
NUPERI
Reverendissimi in CHRISTO Patris
JOHANNIS
Archiepiscopi ARMACHANI,
Totius *Hiberniæ* Primatis & Metropolitani, terræ
mandatas xvi. Die *Julii* 1663.
IN
ECCLESIA CATHEDRALI
S.S. & individuæ Trinitatis
DUBLIN.

Quam effudit
DUDLEIUS LOFTUSIUS
J. U. D. *Vic. Gen.* Arm.

DUBLINII.
Typis *Johannis Crooke* Typographi Regii.
MDCLXIII.

07-1372

REbus humanis eximitur, Præsul eminentissimus vir optimus juxtà ac doctissimus, quem huc elatum, totius urbis luctu, & funere frequentissimo conspexistis, ubi lugubribus induti vestibus, imò & non induti, dolent, quasi non alieni, sed proprii doloris causâ hic loci veniissent; mearum erit partium ad vos Patres Reverendissimos & Reverendos, simul ac totum Clerum, totamque *Minervæ* sobolem, de tanto viro mortalitate exuto, habere Sermonem: sed in ipsâ operis aggressione, sentio quam malignè vires animo respondeant, magnum enim me premit negotium, vox mea præ dolore acerrimo deficit, os meum ferè obstruitur, & verba in oris exitu moriuntur, dum vultus multorum, lachrimis quasi vitreis obte-

gitur, cadaverosam faciem præ se ferre videtur Ecclesia *Hibernica*, & ex conspectu tam eruditæ & celebratæ Synodi, mea deterretur audacia ; erit tamen apud vos, Auditores doctissimi, temerarii incepti excusatio, si hac in re non fecero, præterquam mei me adhortatur & imperat officii ratio, suadetque pietas ; adeste igitur diligenter, ut humanitas vestra postulat, reiq; præstantia exigit, nulla enim in re, loquendi auctior existit seges, quam in laudibus *Johannis* nuper Archiepiscopi *Armachani* celebrandis reperitur, quæ sunt clariores atque evidentibus documentis probatiores, quam quæ nostra indigeant elucidatione, modicum itaque temporis meritis suis consignandis congerendisque, vestrâ patientiâ annuente, sum impensurus, laude enim virtutis, & sapientissimi delectantur, inquit *Libanius*, & laudatio est meriti census, sed quia nec animus dolens, nec tempus fert sigillatim omnia persequi, capita rerum attingens,

tingens, ſine producto verborum ambitu, loquar, eaque quaſi uno faſce laudatorio, complectar, nec fucatâ utar oratione, qualis mendacio fidem impetrare ſolet, ſed ſimplici & conveniente rei ſermone, non ex ingenii licentia, ſed veritatis præſcripto perorando, placeat igitur, ut virtus meretur, ipſius vitæ curriculum paucis delineatum proſpicere, unde eam ex præclare geſtis rebus gloriam eſt aſſecutus, ut ex hominum memoria nulla delere poſſit vetuſtas nomen *Johannis decimi* Archiepiſcopi *Armachani*, cujus exuviæ huc elatæ ſunt, & magno cum luctu jam jam terræ mandatæ, ubi diem illum magnum illuſtris apparitionis Domini expectant.

Fuit Præſul hic Eminentiſſimus priſcis imaginibus clarus, Parentes enim ei fuerunt, ingenuitatis laude, & opulenta honeſtate, conſpicui, oppidi de Ponte-fracto dicti in Comitatu *Eboracenſi*, ſed de *Bramhall* alias *Brambal-Hall* in Comitatu *Ceſtrenſi*

ſtrenſi apud *Anglos* oriundi.

Sed cum minus illuſtris ſit illa gloria quæ in veterum imaginibus poſita eſt, niſi propria virtus illam accedat, ille acceptam a majoribus lucem, vitæ ſuæ geſtis adeo non obſcuravit, ut eam, longè quam fuit è memoria hominum, illuſtriorem reddidit, è cunabulis enim naturæ dotibus præſtantiſſimis, & nativâ ingenii celeritate fuit ditiſſimè præditus, & à teneris, quod in illo natura formatrix inchoaverat, cultrice doctrina perficere conatus eſt, & ad verum virtutis decus & doctrinam ita incubuit, faciles in ſtudio literaturæ humanioris faciendo progreſſus, ut cum accreviſſet ætas ſua and annum decimum ſextum, amænam in ſe vernantis doctrinæ faciem præbuit, & ingenium cognoſcendis artibus ita accomodatum, ut pro uberiori ingenii cultu capiendo, & ut coeptis ſtudiis cognitionem adjungeret pleniorem (ut primum per ætatulam potuit) miſſus eſt Academiam

Canta-

Cantabrigiensem, ubi severioribus disciplinis strenuam dedit operam, & Musarum suavissimos hausit liquores, unde doctrinâ celeberrimus, & humanitate satis politus devenit, non minùs aureo dicendi flumine quam accurata disserendi facultate præditus, ita ut inter alia florentissimæ istius Academiæ lumina non minimæ magnitudinis effulsit.

Cùm autem juventutis suæ annos tam probè collocasset in studiis literaturæ humanioris, ita probavit omnibus indolem, ut is haberetur, quem suo fovebat *Astrea* sinu; primo lauream, deinde Magisterium in artibus, peractis ceremoniis, examinatis studiis, & præstitis de more exercitiis, consecutus est, à quo tempore in organicis disciplinis quæ verè προ εργȣ και προ οδȣ sunt ad superiora jam satis instructus, Theologiæ studio se ferè totum dedit, ita denique in omnibus disciplinis versatus, ut cum quovis in sua arte paria facere videbatur,

nec-

necnon Rector Ecclesiæ Parochialis de *Elvington* in Dioceſi *Eboracenſi* canonicè factus, oblata eſt ei emergendi & ad altiora aſpirandi occaſio, etiamſi enim æmuli nonnulli eum detuliſſent publicè tanquam cum Papiſtis habentem, nomen & celebritatem ei pepererunt iſtæ poſitiones quas ſolus ſuſtinuit, maximo vitæ ſuæ diſcrimine, in frequentiſſimo & erudito Papicolarum Theatro apud *Northalerton* in Comitatu *Eboracenſi* contra tres Jeſuitas non inferioris ſubſellii homines, qui certamen religioſum toti Clero provinciæ *Eboracenſis* infeſto animo, & quaſi inſaniâ inflati obtuliſſent, in iſta enim Controverſiâ ex animi ſententiâ exitum aſſequebatur celebratiſſimum, ſeq; in pulvere Scholaſtico non minùs fortem tunc Juvenem reſpondendo monſtravit, in turpem fugam conjiciendo ſibi opponentes Jeſuitas, quam in ætate ſuâ provectiori ſatis validus inventus eſt, quando argumentorum vi pugnaciſſimâ

ma & valida ſeſe oppoſuit Domino *Militier*, vinculiſque conſtrinxit Dominum *Hobs*, qui contumacior fuit quàm ut libertate ſibi à Deo oblata frueretur, ferocemq; ejus & monſtroſum *Leviathan*, cui tanquam piſciculo ori injecit hamum, & quoquò vellet rationis filo ducebat, poſtquam argumenta ſua illi monſtro tanquam læthales arundines hæſiſſent, hujus verò diſputationis exitus tam gratus fuit *Tobiæ Matthæo* tunc Archiepiſcopo *Eboracenſi*, cui etiam propter eruditionem, prudentem facundiam vitæque integritatem fuit ipſe chariſſimus, ni fallor, etiam neceſſitudine conjunctus, quòd eum in Sacellanum ſuum domeſticum aſcivit.

Dictus Archiepiſcopus *Eboracenſis* pro tam latè diffuſa muneris ſui functione, eum in partem ſuæ ſolicitudinis frequentiſſimè vocavit, unde uſu rerum accrevit, & negotiorum expediendorum exercitio ita erat inſtructus, ut nulli negotio, præſertim Ec-

cleſiaſtico conficiendo vel adminiſtrando impar habebatur, quæ enim in Eccleſiæ gubernatore requirebantur, ea in floridiſſimo iſto Juvene fuerunt omnia, & fuerunt eximia, non aliter ac ſi ad rerum Eccleſiaſticarum tractationem, peculiari arridente aſtro, natus eſſet.

Paulò ante iſti Præſuli deveniſſet è Sacello, ſibi junxit in uxorem fœminam bonæ ſtirpis, benè dotatam, morigeram, pudicam, mitem, qualis fortaſſe paucis contingit, & ſub id tempus cooptatus eſt in Præbendarium Eccleſiæ Cathedralis *Eboracenſis*, & Vice-Decanatum *Riponenſem* adeptus eſt, ubi functionem ſuam cum nominis ſui fama & Eccleſiæ fructu, per multos annos perpetuos obivit, in Concionibus frequentiſſimns imò laudatiſſimus, adeò ut ſi in ullo homine, in illo certè nomen vimq; ſuam Theologia practica comprobavit; hiſce accedebat ea integritatis prudentiæ & juſtitiæ exploratæ ſuæ opinio,

ut

ut inter Parochianos ſuos & Vicinos pro *Catone* iſtius agri haberetur, plurimique ipſum ſuis litibus diſceptatorem ſumerent, arbitrium illius, publicis Judicum ſententiis anteferentes.

Decurſis tandem ſtudiorum requiſitorum ſpatiis, contulit ſe iterum *Cantabrigiam*, & poſt præſtita ſummâ laude omnia ea ex parte requiſita exercitia, doctoratus in ſacrâ Theologiâ gradu, in Comitiis publicis & ſolemnibus fuit inſignitus, non tamen tam inſignibus ornatus quàm ſolidâ eruditione inſtructus, non enim titulo tantum tenus Doctor fuit renunciatus, ut alibi laureatum pecus *Arcadicum* cui conferuntur gradus, nullo in literis profectu explorato, peractis ceremonis, non examinatis ſtudiis.

Expectare nunc aures præſentium ſcio, & id eminere in omnium vultu intelligo quod deſiderio concipiatur, quomodo ſcilicet, quo ſuaſore, & qua ratione ductus,

egregius iſte Doctor, ad hanc Eccleſiam olim promovendam, nuper verò è ruderibus reſtituendam natus, ſeſe contulit primò in hoc regnum, quod quidem cuivis ad rem mediocriter attendenti, ſatis etiamſi paucis ſtatim apparebit.

Anno humanæ redemptionis 1632. aut eo circiter, *Carolus* glorioſæ memoriæ primus, *Thomam* Vicecomitem *Wentworth* paulo ante plebis Genium, tunc verò rebus ſuis accomodatum, ad hujus regni regimen legavit, qui vir prænobilis, nihil prius habuit, quam ut Eccleſia *Hibernica*, in quam eximio flagrabat pietatis zelo, rituum & laudabilium Ceremoniarum obſervantiâ, pietatiſq; incremento ad decorum redigeretur, ſimul ac reditibus in Cleri ſuſtentationem augeretur; quæ quidem negotia ſibi videbantur ardua, navumq; hominem cui mandarentur, ſummaq; prudentiâ præditum poſtulare, quapropter ſummâ operâ niſus eſt, ut ſibi adjungeret doctum prudentem

dentem & fidelem virum, rebúſq; Eccleſiaſticis bene verſatum, qui ſibi ea in re, majori eſſet adjumento, pro incredibili itaque qua erat internoſcendo cujuſque ingenio, ſagacitate, feliciter ipſi venit in mentem, neminem in toto regno *Angliæ* fuiſſe, qui his in rebus ſibi æquè præberet auxilium, Eccleſiæque tam utiliter & ſpeciosè inſervire poſſet, ac prudentiſſimus ille vir, Doctor *Bramhallus*, qui tunc temporis erat è Regiis Commiſſariis unus, pro cauſis Eccleſiaſticis, & hujuſmodi publicis muneribus obeundis maturè ſe aſſuefecerat, cum illo igitur ſtrenuè egit per Epiſtolas & per Dominum *Chriſtopherum Wandesfordum*, antiquo & arctiſſimo amicitiæ fœdere ſibi conjunctum, quem miſit ad eum, ut ſpem ei faceret, non ſolùm auctioris fortunæ, ſed etiam dignitatis & poteſtatis ampliandæ, ſi iſtius ſuaſu & adhortatione tantum onus in *Hibernia* ſubiret.

Invenit eum *Wandesfordus* nil tale cogi-

tantem

tantem vel appetentem, imò invitum, ac fortiter primò repugnantem, adeò ut omnes rationes meditabatur & urgebat, quæ facere ad liberandum ſe illo inſtituto viderentur, precibus tamen tam chariſſimi amici victus, ejus conſilio tandem paruit, ſeq; totum dedit prænobiiis iſtius Proregis voluntati, ſeq; in *Hiberniam* extemplò contulit, ubi ſtatim expertus eſt Prorex, eum non fefelliſſe, magnam de hoc viro ſpem prius conceptam, nam ita hanc tantam tamq; laboriosam ac difficilem provinciam ſibi commiſſam ſuſtinuit, ut electus à Deo eſſe videretur, qui Deo duce, navim Eccleſiæ ad portum ſalutis dirigeret, eandemq; in ordinem redigeret perfectiſſimum, quod quidem magna ex parte fecit, & ante viginti retrò hinc annos plenè perfeciſſet, niſi clivia facta fuiſſent auſpicia, quando huic Regno tergum exhibuit Deus, *Strafordio* Majeſtatis poſtulato, & ſubinde bellorum ingruentium turbines, & infelices armorum motus

per

per improviſam conjurationem excitati, pertinacem remoram ei objeciſſent; quamprimùm enim egregia *Bramhalli* virtus idoneum nacta eſt theatrum, agrúmq; ſatis amplum quem excoleret, cœpit ſtatim partes ſuas agere pro dignitate, & gloriæ ſuæ ſemina velut in ſolo frugifero, ſpontè reſpondebant; hic ad maturitatem productæ ſunt illæ gloriæ fruges, hic illa virtutum lux, aperto ac libero cœlo diffuſa, incidit radiis validis in hominum oculos ſuique venit in prædicationem ſplendoris; Dum enim *Jacobus* Archiepiſcopus *Armachanus* pio concionandi ac ſcribendi ſtudio, à rebus agendis abductus erat, ille quæ talenta á labore, ſtudio & rerum uſu priùs in *Anglia* comparâſſet, ita prudenter contulit in medium ad publicas utilitates, ut ab artium civilium peritiſſimis habitus eſſet admirabilis rerum agendarum opifex, quomodo enim verſatus fuit, quantumq; & conſilio & operâ toti Eccleſiæ commodavit, Hiſtori-

riarum monumenta, dum fuerint homines, loquentur, unde tam charus fuit dicto Proregi, ut ſine ipſius Conſilio, majoris momenti in rebus Eccleſiaſticis decreverit nihil; fuit enim ipſius ſolenne, ut ſi de rebus Eccleſiæ vel eſſet tractandum, eum adhiberet præterea neminem, unde ſibi maturavit Epiſcopalem dignitatem, ut in altiori dignitatis gradu conſtitutus, vel maximorum negotiorum adeſſet adminiſtrationi, quando igitur mortalitati valedixiſſet, & è vivis migraſſet *Georgius Derenſis*, migrationis ejus lacunam explevit *Bramhallus*.

Sed liberiùs opinor quàm par eſſet, habitâ temporis ratione, nunc evagatur oratio, injiciendum ergo deſultanti frænum, ut ſatietati veſtræ occurratur, hiſtoriam igitur in pauciora contractam conferam, treſq; in partes diviſam.

Prima pars ab ejus conſecratione in Epiſcopum *Derenſem* ad uſq; id tempus quando omnia ſurſum deorſum videban-

tur

tur itura per conjurationem in *Hibernia*, imò vertebantur, erit inſtituta.

In ſecunda tractabitur de iis quæ è tranſmigrationis ſuæ tempore paſſus eſt animo conſtanti, vel fortiter egit quouſq; reverſus eſt poſtlimino.

Tértia pars vobis præ oculis expoſitura eſt quæ geſſit præclarè, poſt Eccleſiam *Anglicanam* & *Hibernicam* reſtitutam: exhibito hunc in modum ὡς ἐν τύπῳ totius futuræ Hiſtoriæ diagrammate, rem ipſam aggrediar, ubi primò venit obſervandum, quod ſicuti poſt adeptum Epiſcopatus ordinem, ſplendidioribus confulſit ornamentorum ac dignitatum privilegiis, ita accenſior erat animus ejus in promotionem Eccleſiæ; Eccleſiam enim *Hibernicam* mirifico ejus labore & beneficentia ſtatim nactam eſſe permagna beneficia, variiſq; & magnis auctam eſſe incrementis, conſtat per amplam recognitionem, ea ex parte in Convocatione Generali *Hiberniæ*, nuper in ſcriptis factam;

audite igitur quæ fecit in ſublimiori dignitatis gradu collocatus, conſpicuus magis & oculis expoſitus.

Ad primum ejus in hoc regnum adventum, invenit hanc Eccleſiam turpi quæſtu, & commercio Symoniaco, tanquam negotio perambulante in tenebris maculatam, interveniente enim pecuniâ aliiſve donis, frequenter ut audivimus beneficia Eccleſiaſtica erant iniquè acquiſita; ille tamen edoctus non minus è ſacris literis, quam decretalibus *Gregorii* Epiſtolis & ſexto decretalium, quod Symoniaca peſtis, ſui magnitudine alios morbos vincit, ſine dilatione, mox ut ejus ſigna per aliquam perſonam claruerunt, de Eccleſia Dei illam eliminavit, & è gratiæ ſuæ benignitate, omni mentis impetu repulit, & in eam exercuit ultimam Canonicæ ſeveritatis ultionem; in beneficiis enim conferendis pertinax ſuus munerum contemptus & φιλαργυρία patuit ferè omnibus, & certè, magna eſt in Præſule vir-

virtus, qui expugnari ſe pecuniâ nunquam paſſus eſt.

Hoc turpi ejecto Dæmone, operam dedit ut labentem ac propè cadentem Eccleſiæ diſciplinam prudentiâ ſuâ ſuſtineret, & ut ejus redditus & proventus ſuâ induſtriâ promoveret, poſteriori enim in re, nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercit, unde erat quod Eccleſiæ *Hibernicæ* redditus aucti erant ad triginta millia librarum ſupra antiquum annuum eorum valorem, terras enim & decimas Eccleſiæ, in prophanos uſus converſas & uſurpatas, vel juris remediis recuperavit, vel pecuniis propriis vel ab Archiepiſcopo tunc *Cantuarienſi* in iſtum uſum erogatis redemit; in priorem verò id eſt Eccleſiaſticam regularem diſciplinam tanto exarſit deſiderio, ut in eam omnes ſuas curas & cogitationes defigebat, unde fuit, quod Canones & Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ipſius præcipuè mediante labore *anno Dom.* 1634. in

Synodo tunc habita & celebrata Nationali editæ ſunt, quibuſcum Cleri univerſæ luxuriæ, cupiditati atq; licentiæ, frænum quod facilè excuti non poſſet injiciebat; quantum deniq; in iſta Synodo deſudavit, Conſtat per culti ſermonis orationes ſuas, tunc frequentèr habitas, & ex eo etiam, quod in difficilibus quibuſcunq; facti & juris ſpeciebus, actis, Conſiliis, omnibus etiam ſcriptis & inſtrumentis in iſta Synodo nervosè confectis & adornatis, illius ſolùm, vel præcipuè opera & induſtria, ſemper fuit adhibita: nil loquor de ſuis Concionibus, quæ fuerunt veluti *Manna* de cœlo deplutum, hoc excepto, quod omnibus ſapuerunt abſq; faſtidio.

Reliqua verò geſta ſua laudabilia uſque ad ingruentes bellorum motus, remitto vobis videnda per inſtrumentum recognitionis nunc exiſtentis Synodi *Hibernicæ* in modum iſtiuſmodi Teleſcopii confectum, quo non majora reddantur objecta, ſed vide-

videantur accuratiùs, iſtiuſmodi enim eſt hæc Synodus, in quam nec ſuſpitio fraudis, nec opinio corruptelæ, nec præoccupati affectus judicium cadere poteſt, quæque genuinam ſemper ſpirat veritatem.

Videamus igitur ſecundo in loco quæ in migrationis ſuæ tempore in *Anglia*, vel apud alias exteras nationes paſſus eſt animo conſtanti, vel ſtrenuè egit, etenim poſteaquam multa incommoda & damna hic paſſus eſt, apud nos, & monitus erat ſecretò ab amicis, ut quam chara ſua ſibi ſalus & vita eſſet, illico diſcederet, inſidiasq; Scotorum certiſſimas declinaret, Conjurationis *Hibernicæ* ſtimulis pulſus eſt tandem hoc regno, in *Angliam*, ubi quantum confidentiæ in obeundis, quantum conſtantiæ in ſuſtinendis periculis pro Rege præbuit, res eſt clariſſima, tanta enim fuit ſemper animi ſui magnitudo, quod neq; fortunæ ſerenæ frons illum ſuperbientem tollebat, neq; nubila & obſcura deprimere potuit,

non

non erat tumidus in lætis, nec timidus in adverſis, ſed illuſtre ancipitis fortunæ exemplar, adeò ut cum fortuna pleriſq; mortalium Regina eſſe dicatur, ejus ſeipſum Dominum ac Regem eſſe oſtendebat.

Vix diù in *Anglia* (ibi tunc flagrante bello) commigraſſet, quando novi operis devenit attentator, in negotio enim quodam militari graviſſimo, & maximi momenti, conſilium ſuum Domino Marchioni de *Novo-caſtro*, prudenter & fideliter impertivit, quod, ipſo comprobante eventu, imprimis utile ac ſalutare erat; quapropter, dictus Marchio ſalutare illius poſtea conſilium frequentiſſimè petiit, quo utendo prævaluit ſemper, quo ſi ductus fuiſſet ipſe & *Rupertus* Princeps fortiſſimus in prælio juxta *Marſton-More*, fuſæ tunc (ut dicitur) non fuiſſent copiæ Regis, ſed integræ fuiſſent ſervatæ, imò ruptus fuiſſet alter ex oppoſito exercitus; nec ſolùm impendebat gratiſſimum & tutum con-

consilium Ducibus & Archistratiotis quibuscum notitia ipsi atq; amicitia interceſſit, ſed etiam pro ſuſtentatione gregariorum militum, ponderoſa argenti ſui moles (illo non refragante) cuſa erat & ipſis irrogata.

Nec argento ſolùm ipſe milites aluit, ſed etiam in animi iis adjectionem frequenter cum illis fuit in ſacris concionibus, uſq; dum in fundum pars regia declinaſſet, & liberè inter homines diutiùs verſari ei non licuit, *Angliam* tunc deſerens quia veritatem deſerere non potuit, nec conſtupratam pati conſcientiam apud *Belgas*, quaſi omnem cupidus effugere ſuſpitionem commercii cum Pontificiis, latuit uſq; dum Regiæ cauſæ inſerviendæ, uſui fore videbatur *Anno Dom.* milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo in *Hibernia*, ubi tunc Regis rebus urgentibus adfuit Proregi omnium ferè periculorum ſocius, paratus vitam Deo & *Cæſari* impendere, denique

poſt

poſt varios caſus & multa rerum diſcrimina, iniquè carceribus mancipatus & Providentiâ divinâ liberatus, trajectus eſt in *Galliam*, ubi ſicuti & apud alias exteras Nationes, vel Regem obſequio, vel ſtudia ſua ſummo labore ſequebatur, prout magis ſacræ ſuæ Majeſtati vel Eccleſiæ, mutatis frequenter rerum vicibus expedire viſum fuit, undè non minorem habuit apud exteros exiſtimationem, quam apud ſuos venerationem, imo quæ ſpreta domi, ab aliquibus virtus erat, foris erat apud omnes celebrata, ut enim poſteritati prodeſſet, adſcribendum, animum, non invita *Minerva*, dedit, & rem publicam literariam ingenii ſui Monumentis ditavit, multoſque lucubravit de rebus inter literatos controverſis libros, acri Judicio & perfectiſſimo ordine diſpoſitos, ſæpeque, recuſos, qui nomen ſuum magna famæ celebratione, per totum orbem elucidarunt, quibus id agere laboravit ut hominum corda, quæ diù exagitaſſet & defatigaſſet

tigaſſet diviſio, unio integra conſolidaret, & pax Chriſtiana per totum terrarum orbem diffunderetur, propterea tanquam per magnus literarum arbiter, novam ferè ſiniendi lites viam inſtituit, necnon, ad evitandas diſpendioſas & moleſtas diſputationum prorogationes, non enim tam argumentorum vi pugnaci & infeſtâ, quam ad ſtatum æquum reducendo quæſtiones, diremit controverſias; nec eò diſputavit, ut videretur viciſſe, verùm ut veritatem indagaret, ac ipſam in lucem proferret, & quando vidiſſet veritatem inter extremas opiniones mediam viam nonnunquam tenere, parteſq; adverſantes in extrema utrorſum dilapſas, non ſtetit è parte unius, vel alterius, ſed utraſq; in unam ſi fieri potuit, obſcura dilucidando & explicando, indefinita determinando, vel aliás diſtinctionis fœdere redegit. Plura de geſtis ſuis in partibus tranſmarinis non ſum dicturus, præ temporis anguſtiâ, ne victus rerum magnitu-

dine, redigar ad ſilentium; me conferam igitur ad ultimam partem vobis expoſituram, quæ præclarè geſſit poſt feliciſſimam Eccleſiæ reſtitutionem, quæ ut contingam breviter, nutu, & prope murmure, cohortantur auditores, quia ita ſplendore ſuo omnium mentes & oculos perculerunt, ut neminem veſtrum, opinor, latere queant.

Quando igitur fides ejus erga Regiam Majeſtatem, fortunæ calamitate probata & valde illuſtrata (dum ad omnem fere fortunæ contumeliam, ſacra corona Regis noſtri invictiſſimi erat projecta) aliæque ſuæ virtutes, præcipuè verò animi ſui conſtantia & amor, quo laborantem Eccleſiam, in anguſtiſſimis temporibus proſecutus eſt, quando lacera luxataque erat Eccleſiaſticæ Diſciplinæ compages, magno ſpecimine illum præbuiſſent laudatum, quaſi nullum cum fortunæ incrementis & decrementis commercium habentem, immediatè poſt feliciſſimam ſacræ ſuæ Majeſtatis

jeſtatis reſtaurationem, noſtramq; felicitatem poſtliminio reverſam, huic Præſuli, calamitatibus empta proſperitas tandem illuxit, Regiq; placuit probatam ſuam conſtantiam coronare; eumq; Archiepiſcopatu *Armachano* donare, rediit igitur in *Hiberniam* priſtinis ſuis dotibus clariſſimus, tranſmarino etiam atq; adventitio animi cultu ornatior, ad ſuſcipiendum in ſe hujus Eccleſiæ oneroſum regimen, in illum igitur tanquam à theatro omnium oculi conjiciebantur, illéque ſe omni officiorum genere colendum exhibuit, non ſolùm quòd ſibi ex tranſlatione ſua ad ſedem *Armachanam*, tam excelſus fuit conſtitutus locus, ſed quod ſua in rerum Eccleſiaſticarum negotiis expediendis perſpicacia, ac prælibata regendi prudentia, tales erant, ut tam illuſtri honoris acceſſione & officio dignus omnino omnium judicio haberetur & aptiſſimus, qui vineam Dei in hac terra hæreticæ pravitatis dumis pænè ſilveſcentem,

exerceret & ad fructum lætiorem excoleret; *Jacobus* nuper *Armachanus* in centenario Archiepiſcoporum *Armachanorum* numero noviſſimum cepit locum, ut quod defuiſſet in ſuis prædeceſſoribus, ſua virtute compleret. Noſter verò *Johannes* ſupra numerum centenarium primus fuit conſtitutus, forſan ut in proximo centenario ſucceſſuris Archiepiſcopis luceret ipſe tanquam *Patricius* alter in ſplendidiſſimum virtutis exemplar.

Quamprimum igitur ad hoc ſolſtitium, ut ſic loquar, honoris evectus fuit, in id ſummâ curâ incumbere voluit, ut omni quo decuit apparatu & ſolennitate, ſuis ſacris, aliiſque adjutricibus Epiſcoporum manibus celebraretur in omnium conſpectu conſecratio duodecim Epiſcoporum, quot hæc ætas nec retrò omnia ſecula uno tempore & loco, vix unquam viderunt conſecratos, quæ quidem conſecratio ita ſecundum ſacri officii ea ex parte formam,

&

& ritus Eccleſiæ ex canonibus requiſitos, erat celebrata, ut nihil pro rei tam ſacræ ſolemnitate & venuſtate deſideraretur.

Immediatè poſt hoc præſtitum officium, paſtoralis officii ſui cura eum excitavit ut gregem Domini ſibi commiſſum, & jure Dioceſano ſibi ſubjectum luſtraret, & ei facialis viſitationis debitum impenderet, juxta canonicas ea ex parte ſanctiones ſalubriter editas & proviſas, ubi Præſulem egit nullâ ex parte non egregium, imò nullâ ex parte non maximum; concionem enim tunc habuit ad clerum, non ſolùm ſplendidæ eloquentiæ, & doctrinæ nitidioris honeſtamento nobilitatam, ſed etiam ſumma pietate & prudentia refertam, quâ maximè urgebat quæ pro Regiâ facerent auctoritate & populi obedientia Regi præſtandâ, in hac etiam viſitatione ſua primaria, eam obſervabat temperantiam ut non minùs veniam cuperet præſtare correctis, quam ſeveriùs agere cum obduratis; miniſtroſque ſingulis Ec-

cleſiis

cleſiis inſtituit, non ſuggerente carne, ſanguine aut gratia, quos ſcivit doctiores & pios, animarum ſaluti utiliores, & ad pacem concordiamque Eccleſiæ retinendam magis compoſitos, in qua nihil impacatum nihil voluit eſſe diverſum, omnia denique quæ à primo nitore inſtitutionis canonicæ excidiſſe obſervavit, ad canonicam reduxit obſervantiam, cæteraq; ordinavit laudabiliter, & alieni quippiam à ſuo officio in iſta viſitatione non commiſit.

Poſtea rerum urgentiſſima ratione flagrante, illoq; ſuæ ſolicitudinis eſſe intelligente, ſuper domum Dei invigilando intendere, primariæ inſpectionis viſitationem, Sereno pietatis intuitu, per totam ſuam provinciam tenuit & celebravit, ubi omnia negotia iſtarum Dioceſium, ſtatim & nullo labore reddidit confecta ad normam propriæ ſuæ Dioceſeos, prout ratio poſtulabat, & jubebat æquitas.

Convocato poſtea Concilio generali

ſeu

Nationali Synodo *Hibernica* ex Regis mandato, omnes induſtriæ atque ingenii nervos eò tendebat, ut generalem Eccleſiæ ſtatum referret in meliùs, ipſi enim ante oculos ponenti, præſentium conſiderationem, & præteritorum temporum recordationem, videbatur ei Synodus nationalis agri Dominici cultura præcipua, quæ vepres ſpinas & tribulas hæreſium, errorum, & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit, ſed quoniam quæ in hac Synodo præſtitit eximia, in Regiſtro convocationis reſtant pleniùs videnda, quam hujus temporis anguſtia permittit explicanda, & poſthac publici fuerint Juris, non erunt hic recitanda, de magnis enim parva & pauca loqui eſt virtutis calumnia.

Non videbor facere præterquam meum me adhortatur officium, ſi in memoriam revocem, quomodo in prima comitiorum

rum Convocatione, factus eſt regis mandato, in domo procerum prolocutor, loco & vice Domini Magni Cancellarii, qui tunc cum collegis ſuis Dominis Juſticiariis Hiberniæ, ſuſtinuit perſonam Regis in iſto ſenatu; præter quotidiana munia ſua præſtita perquam laudabiliter hiſce Comitiis, habuit in eorundem auſpiciis orationem gravibus verbis cultam, & ſapientiſſimis ſententiis politam, alias verò effudit orationes ſucculentas, & vario eruditionis colore veſtitas in preſentia Honoratiſſimi Domini Proregis, ex mandato Procerum, cæteraque ita egit quæ ſibi iſtius officii intuitu incumbebant, ut nemo fide præſtantior nemo certè in officio conſtantior atque perſeverantior, nec diligentior ullus eſt futurus, nec locus ſibi in domo Procerum Conſtitutus, fuit iſto animi affectu ſublimior, quo eum proſecutus eſt altera Parliamenti domus, poſteaquam enim ibi erat conſtitutum, ut ab auſpicatiſſimis Eccleſiæ

ritibus

ritibus inſtituerentur publica ibi tractanda negotia, eum in finem, ut faeliciori progreſſu irent, & meliorem ſortirentur exitum, ejusdem Conſilia, decretum eſt, unanimi conſenſu ſuffragante, omnia ſua Membra, cænæ ſalutaris dominicæ fieri participantia, ſacra manu hujus præſulis adminiſtrante, quam quidem (concione præparatoria a Domino Doctore *Moſſom* Eccleſiæ hujus Cathedralis S. S. Trinitatis Decano priùs habitâ) Magno Charitatis affectu iis præbuit, & adminiſtrando & benedicendo.

Nulla verba nunc faciam de viſitatione ſua in Dioceſi Midenſi, iſta ſede vacante; ordinariiſq; ſuis viſitationibus, propria ſua perſona celebratis, neque de periculis quibus earum ratione fuit expoſitus nec de viſitatione Regia quam habuit in animo tenere, & deſtinaverat tenendam ante hunc diem, hac enim de re ſermo aptiùs in alium hujus orationis locum erit transferendus.

Post decursas jam ad modum historiæ, vitæ suæ aliquas transitiones, quas summatim, ut dicitur, deductas libaverim, nonnulla etiam de laudibus illius inde emergentibus perstringere, non erit forsan ingratum, quanquam omnes ejus virtutes, præ magnitudine, cuivis florentissimo oratori, viam præcludant exprimendi quantum Excellentiæ in eo præfulsit ; dignas enim dare tanto viro laudes, dignaq; proferre tanto [illegible] encomia res est non tam difficilis quàm revera impossibilis.

Fuit paterfamilias severus juxta ac humanus, domi conjuge & liberis felicissimus, in conjugio vixit annos quadraginta quinque, è unica sua conjuge liberos suscepit sex, quorum duobus præmissis, quatuor reliquit superstites, tres filias perbene dotatas, nuper autem factus est avus unius sibi charissimæ neptis, ex filia sua natu maximâ, quam in uxorem duxit & habet vir verè honorabilis *Jacobus Grayham* eques auratus,

tus, Comitis de *Mountaith* & *Airth* filius, cujus in ſtirpe fuit longa & vetuſtiſſima virtutum ſeries, quæ nobilitatis titulis per trecentos annos ſplendidiſſima floruit; filium etiam unicum reliquit eminentiſſimus iſte Præſul, Baronettæ dignitate inſignitum, ampliſq; fundis locupletatum, qui ut paternâ hæreditate, optimè partâ, ſuique hæredes maſculi perpetuò fruantur, divitiis fulciantur, ſemper etiam vernent & vireſcant ex animo precor.

Liberos, ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου uti Apoſtolus monet, educavit, filiaſq; erudiendas matri dedit, in quâ nullum virtutis & pietatis deeſt exemplar, quæ ipſas tanta ſolicitudine, tantaque domeſticorum exemplorum ſanctimonia inſtruxit, ut ſuis virtutibus, & patriæ & familiæ ſint ornamento.

Verum eſt, quid enim quod verum eſt diffiteamur? nonnunquam ex ira nimis ſubitanea ad verba pronus fuit acerbiora, attamen iſta verba animum alicujus non

diu exercuerunt, quia molliorem ſtatim eum experiebantur correpti, prout enim facilis erat ad iram ex ægritudine, quæ eum diu vexavit, ita facile deſinebat.

Vidiſtis quomodo ſe geſſit in familia, nunc quænam fuit ejus inter homines conſuetudo, reſtat dicere, fuit enim ob officiorum & aliis gratificandi promptitudinem imprimis laudatus & clarus, nam in eo dignitatis gradu conſtitutus, quem paucis contingere videmus, iis facultatibus auctus quas optare multi, obtinere pauci queunt, ingenii deniq; & doctrinæ dotibus præſtantiſſimis ornatus, tamen ad faſtum propterea ſe inflari paſſus non eſt, non obſtante verò muneris ſui latè diffuſi functione, vel inter ſummas graviſſimarum rerum occupationes, omnibus ſe præbuit facilem, nemo qui eum noverat benemeritus ſpe vacuus eum accedebat, triſtis ab eo recedebat: preces vel amicorum interventiones vel Magnatum literas non expectabat, ſed

ſponte

ſponte obtulit beneficia, unum promittens, plura nonnunquam conferens, munera enim tanquam libertatis pretia, animiq; corruptelas exiſtimavit, nec unquam accepit ipſe neque accipi à ſuis paſſus eſt.

Principi ſuo fuit conſiliarius fidelis, probatus & prudentiſſimus, quaſi maturè publicis muneribus obeundis aſſuetus, & ex hiſtoriarum frequenti lectione ad omnes rerum caſus inſtructiſſimus.

In judicii dexteritate & juſtitiæ laude fuit nobiliſſimus, vereq; κοινον ἀγαθον etenim in jure dicendo & cauſis cognoſcendis decidendiſq; judicii curſum injuſtâ aliquâ remora aut dilationis obſtaculo, impediri, aut ſiſti, aut eludi nunquam voluit, ſed cordatus & integer fuit, utriq; parti æquè aures præbens, cauſas ad ſtateram juris accuratè penſitans, non προσωπολήπτης non ἀνθρωποπαρέσκος, & nihil unquam de conſtanti & perpetua voluntate jus ſuum unicuiq; tribuendi remiſit, ſpe, metu, prece pretio, amore

re, odio, & id genus monſtris, unde orta ſunt, ad orcum ablegatis, in juſtitiæ deniq; adminiſtratione ſeveritatem ſingulari ſemper humanitate condivit, & duas virtutes ita conjunxit, ut altera alteri ornamento eſſet.

Cùm paulatim imminui corporis robur, & decreſcere vires ſentiret, condidit ſuum teſtamentum, in quo piè legavit iſte Antiſtes, præter alia recordamur legati memorabilis, uberrimiq; quingentarum librarum in refectionem & reparationem Eccleſiæ Parochialis Sancti *Petri* de *Droghedah*, & Eccleſiæ Cathedralis & Metropoliticæ Divi *Patricii Armachani*, & quia ſenium hominis morbi curæq; ſequuntur, exhauſtis tandem ſenectute & gravi multoque labore viribus, ecce nimiâ ingenii agitatione in curia Clamantium, repentino, ſed forſan non improviſo apoplexiæ Paroxyſmo tenetur, omnem medicæ artis opem ſuperante craſtinoq; die è vivis abiit Anno

LXX

LXX ætatis ſuæ ad finem ferè decurrente, luctum ſuis, mœrorem omnibus & famam poſteris relinquens, quod mihi in mentem affert quod *Wenceſlaus Zelecius* frequenter habuit in Sermone, *Cùm Deus id quod voluit alicujus operâ fecit, tum ferias ei concedit, cubitumque ire juſſit.*

Utinam, ſi Deo ita placuiſſet, ille ad hanc Eccleſiam reſtituendam promovendamq; natus, diutiùs nobis ſuperſtes fuiſſet, pulcherrimiſq; cœptis colophonem imponere potuiſſet, niſi enim mors immatura piis ſuis inſtitutis manus injeciſſet, mediante iſtâ, quam deſtinâſſet Regali viſitatione univerſam hanc Eccleſiam doctrinæ puritate, diſciplinæ ſeveritate, rituum gravitate florentem à ruderibus inſtauratam & redditibus ad ſatietatem auctam reliquiſſet: Reſtat igitur hoc unicum, ut oretis Deum O. M. qui eſt vita noſtra, & longitudo dierum noſtrorum, qui mutat tempora & ætates, ſufficiat ei in ſucceſſorem ei per pleraque

raq; ſimilem, qualem virum eſſe pietate & prudentiâ inſignem Reverendiſſimumq; in Chriſto patrem *Jacobum* nunc Archiepiſcopum *Dublinenſem* res eſt ſatis nota, iſtumq; fore *Armachanum* omnibus in voto eſt, ita erit quo levius jacturam ferat Eccleſia, erit etiam cur minus nos de tanto nobis ſublato præſidio doleamus.

FINIS.

In completionem ſpatii reſidui non abs re duxi monere Lectorem pro *Ceremonis* p. 9. l. 17. legend. *Cerem niis*, proq; *Pſtlimino* p. 15. l. 6. *Poſtliminio*, nec non pro *ſibi* p. 6. l. 20. *ipſi ſe*; ad hæc, vocabulo *Eboracenſi* p. 3. l. 21. adjiciend. *incolæ*, aliaq; eſſe nonnulla errata, quæ, quia ſunt leviuſcula Lectori remittimus caſtiganda.